

about 1^h in the Afternoon ; at which time it was somewhat nearer the Earth than the Sun is at its Perigee ; the Comet's Distance being then (,83) and the Sun's (,98) such Parts, as the Semidiameter of the *Magnus Orbis* is (,100) ; from which we may have some Idea of the Comet's Magnitude ; and therefore may suppose it, at least, equal to the Earth.

Joseph Betts.

III. *Observatio de Scirrho Cerebelli, ab Alberto Hallero, R. S. S. Archiat. Reg. & Med. Prof. Gotting. ad Reg. Soc. transmissa.*

Read June 14.
1744.

Cerebellum sedem principii vitalis fecit *Willisius* ; et, qui hanc hypothesin ornatissime proposuit, *Boerhaavius*. Verum, præter plurima, quæ contra nervorum vitalium distinctam classim faciunt, et præter experimenta capta à cl. *Lapeyronie*, per quæ constat vulnera cerebelli inflicta canibus, non continuo lethalia fuisse, hanc etiam hypothesin infirmant morbi cerebelli, satis rari, sed aliqui tamen, etiam maximi, et qui cerebellum pene inutile redderent, qui ætatem tamen tulerunt. Manifesta certe inde nascitur suspicio, non adeo, ut *Willisiana* requireret hypothesis, proximam vitalium cordis nervorum, in cerebello & solo, originem esse. Quos præterea satis constat, minima parte à cerebri nervi octavi, et intercostalis ramis, sed à spinalibus imprimis provenire, ex quibus, utrumque ganglion cervicale, multo magis, quam à cerebri propagine, provenit.

Ergo

Ergo memoria digna visa est nuperrima in puella mendica observatio. Adlata est miscella in theatrum die 21. *Januarii* 1744. cum ante annos fere sex nata fuisse videretur. Multi passim in emaciato corpufculo scirrhi, glandularum mesentericarum, inguinalium, bronchialium.

Cum historiam carotidis externæ, et rami maxime, quem maxillarem internum vocat clar. *Winslowus*, persequeretur, in cerebello miri mali mihi apparuit effigies. Lobus ejus sinister pene totus, pertinaciter duræ matri occiput vestienti adhærebat. Incidi tentorium; reperi scirrhum enormem, duarum utrinque unciarum diametro, in quem degeneraverat tota aut medullaris, aut corticalis cerebelli substantia. Uniformiter spissus erat tumor, fibrosus, renis fere ad modum, et scissilis, nullo vase, quæ penitissime repleta erant, in sectione adparente, nulla superstite nota aut cinerei corticis, aut arbuscularum medullarium.

Quæcunque fuerit tanti mali origo, adparet cerebelli mediam partem in hac puella, neque brevi tempore, inutilem fuisse; et victitavit tamen misera, stipemque ostiatim petiit.

Unica parallela scirrhusi cerebelli historia, in stupido puero reperti, legitur in *Actis Parisinis*, 1705. n. 13.